



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 129. Bayardus Eques Papam capere molitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

§. CXXVIII.

*Mirandula a Pontificiis, Venetisque
copiis obsessa.*

*Marian.
lib. 30.
Guicc. lib. 9.*

Capta Concordia, Pontificis exercitus motis castris Mirandulam contendit, cui Galli festinanter quasdam peditum turmas imposuerunt, & quamvis rigidior esset tempestas, jamque anni curriculum in Decembrem inclinaret, quo mense cœli temperies ubique aspera, hoc anno in Longobardia insolito naturæ cursu inclementior soeviit, nihilominus Pontifex Mirandulæ obsidionem adornat, cujus tamen labores (ut haud mirum est) repugnante aeris, frigorisque invidia ægre accelerari poterant, cum vero hanc cunctationem summus Pontifex propositi sui tenacissimus, suis Belliducibus exprobraret, nec tamen ejusmodi querelis obsidionis progressus maturaretur, hinc ipse copiis suis imperare statuit, unde ad sua castra concessit.

§. CXXIX.

*Bayardus Eques Papam capere
molitus.*

Papam castra movisse, brevî fama per- tulit ad Gallorum præsidia, quæ Ruberiam, Carpiam, Guardistallum, & Cor-

Corregium tuebantur, quo accepto nuncio, nominatus ille Bayardus Eques consilium cepit prorsus temerarium, & audax; summum enim Pontificem ex insidiis capere, ac denique Mediolanum abducere decrevit. Ergo cum Papam ad S. Felicem discessurum, suaque signa secuturum intellexisset, animi sui propositum Ferrariæ Duci significabat, supplicans, ut quasdam equitum suorum turmas, quæ primos impetus sustinerent, Padum trajicere juberet: ipse vero nocte appetente cum centum cataphractis iter aggreditur, Papam insecuturus, qui lectica iter faciebat, præmissis ejusdem sarcinis, ac nonnullis Curiae suæ Ministris. Verum Pontificis saluti fuit cœli intemperies, quæ adeo turbulenta erat, ut Papa retro contendere, ac Papiensis Cardinalis monita sequi compelleretur, qui Julio auctor erat, ut discessum ad vesperam differret. Necdum ad *sanctum Felicem* reversus est Pontifex, cum jamjam Bayardus cum suis militibus ex insidiis erumpens, in Pontificios Ministros irrueret, unde Papa mox lectica descendens, citato cursu ad arcem confugit; Bayardo autem in prædam nil nisi quidam muli sarcinis onusti cedebant cum nonnullis Papæ famulis, ac duobus Episcopis ad Ferrariæ Ducem abstractis, qui Bayardum tam opportuna occasione frustratum fuisse, vehementer doluit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1510.

M 3

§. CXXX.